

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## **Aeli Donati qvod fertvr commentvm Terenti**

Evgraphi commentvm continens

**Donatus, Aelius**

**Lipsiae, 1908**

Praefatio

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1594)

## PRAEFATIO.

In hac quoque editione, sicut in ea factum est quae antecessit, a Schopeni studiis initium fieri aequum esse mihi videtur. Etenim vir ille doctissimus cum consilium cepisset Eugraphi commentum una cum Donati aliorumque scholiis Terentianis edere (cf. vol. I p. III), primum ea qua insignis erat diligentia subsidia manuscripta sibi comparare instituit. Itaque a. 1851 cum Lutetiam Parisiorum se contulisset ad excutiendos Donatei commenti libros manuscriptos, occasione data collationem confecit duorum Eugraphi codicum, qui in bibliotheca Parisina adservantur: de quibus rettulit in programme gymnasii Bonnensis a. 1852 ('Über die Pariser Handschriften des Eugraphius'), ubi etiam aliquot commenti locos ad Adelfos et Hecyram pertinentes emendavit. Sequenti anno libros Leidenses contulit, post hos a. 1855--56 codicem Sangallensem, quo Eugraphi commentum contineri iam a. 1851 cognoverat. Denique ne illud quidem Schopenum fugit codicem Laudunensem ad Eugraphianorum librorum numerum accedere, sed ut ipsum conferret, ei non contigit. Pars schedarum Schopeni, ex quibus hic illic coniecturam vel emendationem deprompsi, quam in programme supra commemorato frustra requiras, iam ante hos decem annos eadem via in manus meas pervenerunt, qua eiusdem v. d. collationes codicum Donateorum (cf. vol. I p. XLIX); reliquas tum demum accepi, cum ipse quae in illis desiderabam mihi comparaveram.

Post Schopenum optime de Eugraphio nec non de nova hac editione meritis est H. Gerstenberg doctissima illa dissertatio, quam scripsit De Eugraphio Terentii interprete (Jenae 1886): qui etsi in nonnullis rebus mea quidem sententia erravit, tamen quaestionibus, quas instituit de Eugraphi aetate, de commenti libris manuscriptis, editioni-

bus, recensioibus, fontibus, tam bene editori viam praemunivit, ut plurimum ei me debere libenter profitear.

Nuperrime H. T. Karsten, cum de rhetoricis scholiis commenti Donatei ageret (Mnemos. XXXII 125 sqq.), de Eugraphio quoque multa disseruit, quae inprimis pertinent ad fontes commenti Eugraphiani et ad eam quae inter hoc et Donati scholia intercedere videtur rationem.

Denique ipse uberius disputavi de Eugraphio eiusque commento in Mus. Rhen. vol. LXII p. 203—228 et p. 339—365 ('Der Terenzkommentar des Eugraphius'), quam disputatiunculam in sequentibus paragraphis saepius allatam invenies. Praeterea egi de Eugraphio in commentationis gratulatoriae, quae inscribitur 'Untersuchungen zur lateinischen Scholienlitteratur' (Ad Bremae portum 1899) capite III p. 28—31 ('Zur Textgeschichte des Eugraphiuskommentars'); in Annal. Bursian. vol. CXIII p. 185 sqq., ubi inter alia de Dziatzkonis et Sabbadinii studiis Eugraphianis rettuli; in libello quem conscripsi de Aemilio Aspro (programm. scholae Latinae Halensis a. 1905) p. 31 sq.; cui libello apte adiungam Dornii dissertationem 'De veteribus grammaticis artis Terentianae iudiciis' (Halis Sax. 1906); nam hic v. d. accurate persecutus est quae ipse leviter attingere coactus eram.

### § 1.

#### De Eugraphio.

De Eugraphio eiusque commento Terentiano quae nuper in Mus. Rhen. pluribus exposui, hic paucis comprehendere in animo est. Ac primum quidem de persona auctoris nihil omnino constat, cum nusquam aut de ipso verba fiant aut commentum eius laudetur. De nomine hoc unum monendum videtur in exemplari archetypo, id quod ex optimorum codicum titulis vel subscriptionibus colligitur, auctorem commenti audisse Eografium, sed num haec vera nominis forma fuerit, admodum mihi videtur dubium. Qui in codice Leidensi 34 exstat titulus 'Incipit liber Eugrafii argumentatorii', is inde ortus esse

potest, quod Eugraphius argumentum singularum scaenarum saepenumero ad primum scaenae versum indicavit, sicut etiam in recentioribus commentis ad primum uniuersiusque scaenae versum argumentum prosaicum sive explanationem praeambulam invenimus (cf. Schlee, Schol. Ter. 43; 48 sq.). Qua aetate vixerit Eugraphius, nisi coniecturis assequi non possumus. Videtur autem Donati commento usus esse in eis certe partibus, quae non ad rhetoricam fabularum expositionem, sed ad interpretationem verborum ac sententiarum pertinent (cf. Gerstenb. 33; 46—56; Karsten 133—138; Dorn 21; 33; 39; 40 adn. 1; al.; Wessn. Asp. 31; Mus. Rh. 224). Praeterea inter Eugraphium et Servium aliquot locis tanta similitudo cognoscitur, ut iam Gerstenberg (36 sqq.) statuerit ab illo commentum aliquod Vergilianum adhibitum esse, sive id Servii fuerit sive Donati, qui quin inter primarios Servii fontes fuerit dubium esse non potest. Ad eundem fere finem pervenit Karsten (133—138), qui Gerstenbergii dubitationem ita submovet, ut contendat Eugraphium Servii vestigiis instituisse, qui et ipse Donati in Vergilium commentum secutus sit. Sed mihi etiam post Karsteni disputationem res admodum incerta videtur; nam neque Donati commentum Vergilianum servatum est et eiusdem commentum Terentianum num plenum atque integrum nobis praesto sit, etiamnunc habeo quod vehementer dubitem. Utut igitur est, hoc negari non posse puto Eugraphium aliqua ex parte pendere a Donati commentariis Terentianis, unde efficitur illum post hunc, id est post medium saeculum quartum vixisse. Ab altera parte ut terminum aetatis statuamus, ansam nobis praebent glossae quaedam (v. Mus. Rhen. 225 sqq.), quae ita cum Eugraphii adnotationibus consentiunt, ut ex illius commento excerptas facile tibi persuadeas; quamquam veri simile non est eas recta via e commento in glossaria illa (AA et Abauus minor) transmigrasse. Atque cum alterum glossarium, quod Abauus dicitur, Loewe (Prodr. gloss. 96 sq.) Prisciani fere temporibus confectum esse coniectura satis probabili statuerit, sequitur ut Eugraphium aliquantum ante septimum saeculum

scripsisse sumamus. Non igitur temere facere nobis videtur exeunti quinto vel ineunti sexto saeculo auctorem commenti adscribentes, id quod suadent et sermo Eugraphii et omnis operis atque natura (cf. Mus. Rhen. 224 sqq., praec. 228 et 365).

## § 2.

## De libris manuscriptis.

β

## I. Libri meliores (recensio β).

L

1. Codex Leidensis Voss. lat. Q. 34 s. X membranaeus continet fol. 1—28 Eugraphium, quem secuntur postea demum adiuncti Terentius et Priscianus de metris Terentii. Fol. 8<sup>v</sup> legitur 'Sci petri beluacensis'; eadem verba in fronte libri olim scripta nunc erasa sunt, ubi restat sola adnotatio 'xxi q̄rñ'. Apparet igitur librum oriundum esse ex bibliotheca ecclesiae Sancti Petri, quae erat in urbe, cui nostra aetate nomen est Beauvais. Eadem in urbe natus est a. 1536 Antonius Loisellius, in cuius manus codex *L* transiit, id quod declarat illud 'Ant. L'oisel' fol. 29<sup>r</sup> adscriptum. Post mortem Loisellii, qui a. 1617 Parisiis vita decessit, codex nescio qua via ad Isaacum Vossium pervenit, qui cum a. 1641—44 in Francogallia versaretur, librum sibi comparasse videtur. Ad postremum codex cum Vossii bibliotheca, ubi numerum accepit 189, in bibliothecam universitatis Leidensis translatus est. Cf. Catal. Leidens. p. 380. — Eugraphii commentum ab eodem librario totum binis columnis scriptum integrum non est: exstant enim tantummodo commentum Andriae (f. 1<sup>u</sup>—12<sup>r</sup>), comm. Eunuchi usque ad V 6, 20 *cui hoc est indicante* (f. 12<sup>r</sup>—20<sup>u</sup>), ubi adnotatum est 'desunt quattuor folia'), comm. Heautont. inde ab III 2, 13 *pauperem nunc uero* (f. 21<sup>r</sup>—24<sup>u</sup>), comm. Phormionis usque ad IV 3, 1 *accipiat dotem hoc autem* (f. 24<sup>u</sup>—28<sup>u</sup>). Codicem integrum commentum olim continuisse veri est simillimum; quattuor illa folia s. XVII in. iam defuisse inde apparet, quod Lindenbrog, qui hunc librum adhibuit, ea quae inde ab Eun. V 6, 21 usque ad Heaut. III 2, 13 exhibet, ex alio codice desumpsit

(v. infra). Idem vir doctus post Phorm. IV 3, 1 laceras commenti partes edidit (IV 3, 10—35; V 1, 3—38; V 2, 1—15; V 3, 1; V 7, 2; V 8, 1—18, 29—44), quae, cum et contextus ad eandem recensionem  $\beta$  pertineat et alter quo Lindenbrog usus est codex Phormionis commento omnino careat, quin ex foliis codicis *L* nunc deperditis descriptae sint, dubitari vix potest. Sed cum editor ille traditam scripturam saepius mutavisset, ea quae ex editione eius adnotavi ab iis quae ex ipso libro deprompsi proprio siglo distinguenda putavi. Habitum codicis Vossiani Gerstenberg (p. 5) recte descripsit his verbis 'folia singula superiore parte resecta sunt, ut columnarum primi versus modo ex parte modo plane desint; praeterea priorum minus quam posteriorum foliorum margines adeo lacerati sunt, ut non solum scriptura saepe vitiata sit, sed etiam fol. 26—28 dimidium fere columnarum exteriorum exciderit.' Iam si addes scripturam haud raro ita detritam esse, ut legi omnino non possit, conditionem libri miserrimam tibi animo fingere potes.

Usi sunt codice *L* Lindenbrog, Petavius, Westerhov, Gerstenberg; excussit eum a. 1853 Schopen, iterum ipse contuli a. 1898.

2. Codex Ambrosianus H. 75 inf. membranaceus. A  
De hoc Terenti libro Umpfenbach (ed. Ter. praef. p. XXXI) ita rettulit: 'membranaceus est saeculi decimi, picturis . . ornatus, fasciculorum nunc quattuordecim . . : binae membranae post argumentum Heaut. et post prologum Phorm. insertae sunt, in quibus Eugraphii notae in prologos earum fabularum saeculo undecimo scriptae sunt: eiusdem notae in prologos Ad. et Hec. in margine adiectae sunt.' Idem v. d. Schopeno collationem a se factam a. 1866 misit, quam in eius schedis repperi, postquam per Dominicum Bonomini Mediolanensem a. 1898 ipse mihi collationem libri Ambrosiani comparavi. Nunc utraque carere possumus, cum codex *A*, qui in Umpfenbachii editione littera *F* signatus est, a Batavis photographica arte depictus sit.

3. Codex Laudunensis 467 (olim XV. O. et 355) F  
s. XV chartaceus foliorum 254; cf. Catal. génér. des manusc.

des biblioth. publ. des départ. I p. 249. Hic liber iam Schopeno notus erat, sicut ex ipsius schedis nuper a Wissowa benigne mihi concessis intellexi; sed gravi morbo quo iam a. 1855 laborabat ille v. d. impeditus esse videtur, quominus librum conferret. Continet autem codex *F* comoedias Terenti hoc ordine: Andriam (f. 1<sup>r</sup>—45<sup>r</sup>), Eunuchum (f. 45<sup>u</sup>—101<sup>r</sup>), Heautont. (f. 101<sup>r</sup>—142<sup>r</sup>; f. 142<sup>u</sup> scriptura vacat), Adelpbos (f. 143<sup>r</sup>—176<sup>u</sup>), Hecyram (f. 178<sup>r</sup>—212<sup>u</sup>), Phormionem (f. 214<sup>u</sup>—254<sup>r</sup>). Cum his Eugraphi commentum ita coniunctum est, ut huius contextus singulas fabularum scaenas antecedit. Neque tamen integrum commentum in hoc libro servatum est; nam librarius f. 141<sup>r</sup> adnotavit 'Incipit adelphe: Cuius cōmētum proth dolor non reperi propter quod a me hic omissum. Valeat qui huic operi in fine libri inserere voluerit'; idem f. 225<sup>u</sup>, ubi Eugraphius ad Phorm. II 1, 59 his verbis desinit *neque libertas ulla*, in margine addidit 'hic cōmētum eografi deficit proth dolor cuius si quis alicubi diligens Inventor extiterit ac huius operis Incompleti prosector fuerit apponat quod deficit.' Desunt igitur commentum Adelpborum totum et Phormionis ab II 1, 59 usque ad finem. Continet codex praeterea in marginibus satis multa argumenta et scholia, quae, etsi saepenumero in calce habent notam 'Eo.' (quater tantum legitur 'Eographius') tamen ab Eugraphi commento toto genere aliena sunt et potius ad 'Expositionem textualem' recentissimae originis pertinent (cf. Mus. Rhen. 223 sq.). Ab eadem manu etiam glossae inter lineas verbis Terenti additae sunt. Hae adnotationes quoniam una cum commento Eugraphiano desinunt, ex eodem exemplari transcriptae esse videntur, ex quo Eugraphium petiuit librarius. Qui quis fuerit, docet subscriptio haec f. 254<sup>r</sup>: 'Scriptus et completus [hoc ad scholia pertinet] p me Iohēm Vilardi canonicū Laudun [Laon] et curatū de bappalmis [Bapaume] In attrebatensi dyocesi'. Nomen possessoris latere videtur in iis quae huic subscriptioni utrimque adiecta sunt 'asses'.. 'dauril [i. e. D'Avril]'.  
 Codicem Laudunensem contuli a. 1900.

4. Codex Sangallensis 860 s. XV chartaceus foliorum 88; cf. Haenel, Catal. p. 74. Continet Eugraphi commentum integrum hoc ordine: Andriam (p. 3—41), Hecyram (p. 41—61), Eunuchum (p. 61—96), Heautont. (p. 96—129), Phormionem (p. 129—155), Adelphos (p. 155—177). In ultimo folio subscriptio legitur haec: 'Et sic est finis huius operis p me Iohannē merwart d' wē.'

Codicem post Schopenum, qui eum a. 1855—56 excussit, ipse iterum a. 1898 contuli totum.

## II. Libri deteriores (recensio α)

5. Codex Vaticanus Basilic. 19 H. s. X membranaeus. De hoc codice Terentiano apud Umpfenbachium (edit. Ter. praef. p. XXVIII) haec invenimus relata: 'Praefixus est quaternio continens in binis columnis scriptam a manu eiusdem aetatis partem Commenti Eugraphiani, prorectam illam usque in primam paginam codicis Terentiani vacuum ab eius librario relictam: sunt uero commentarii in prologos inc. ab Andr. 26 *quas faciet de integro comoedias*: post Phormionis prologum subscriptio est EXPLICIUNT EXPLANATIONES PROLOGORV̄ INCIPIT COMTV̄ EOGRAPHII IN ANDRIA: quod commentum exscriptum est usque ad actus tertii finem, ubi post uersum Vergilianum haec addita sunt [Andr. III 5, 18] & dicimus ulciscor aduersarium .i. ultionem capio [immo accipio] de aduersario' et (p. XXX) 'Scholiorum genus duplex est. Nam et per totum codicem glossae interlineares et breues adnotationes, quae magnam partem cum trivialibus [sc. qualia ediderunt Bruns, Mai, Schlee, Warren] consentiunt, dispersae sunt, et ex Eugraphii Commento excerpta usque ad f. 55<sup>b</sup> (Heaut. III 1 fin. [rectius ad III 1, 77]) ab initio rara, tum densiora in margine ascripta sunt, ne eis quidem, quae in quaternione praefixo paulo largiora exarata sunt, exceptis'. His addendum est posterioris commenti initium factum ab Andr. prol. 27 et una cum schedis antiquis interisse Eugraphi adnotationes ad Eun. V 4, 21—Heaut. II 1 fin. Quod Umpfenbach (Herm. II 337 adn.) dicit ex quaternione praefixo desumpta esse ea, quae P. Victo-



rius in appendice editionis Faernianae imprimi iussit, hoc quidem recte se habet, sed etiam marginalia scholia a Faerno in usum esse vocata docent quae in emendationibus protulit Eugraphiana ad Andr. act. IV et V, Eun. act. II, Heautont. act. II. — Prius commentum continuum usque ad Andr. III 3, 47 contulit H. Graeven, cuius collationis copiam liberalissime mihi fecit Wissowa; reliqua A. Mau et B. Nogara benigne intercedentibus photographica arte meum in usum depicta sunt.

- V 6. Codex Leidensis Voss. lat. Q. 36 s. X membranaceus foliorum olim 40, nunc 41; nam praeter fol. 1 et 8 chartacea, quae in locum membranarum deperditarum substituta sunt, accessit charta dimidiata nunc numero 9 insignita. Fol. 1 haec leguntur 'A. Petavii n<sup>o</sup> 711'; 'Rufinus In Commentario de Metris Euanthiū Sacerdotem in Terentiū citat' [Gr. L. VI 565, 5]; 'Abbo Floriac. abbas In Eplis meminit Eugrafii' [error Petavii, nam non Abbo Floriacensis, sed Gerbertus Remensis Eugraphii meminit, v. Gerstenb. p. 104 adn. 1]; 'οἷς ἀνυχοῦ. Ἀ λαν ἐνυχοῦ PPetavi<sup>9</sup>'. Videtur igitur codex Leidensis non ad Dionysii, sicut putabant Westerhov (praef. p. X) et Gerstenberg (p. 5), sed ad Pauli Petavii olim pertinuisse bibliothecam. Is vir iuris consultus, qui a. 1614 Parisiis diem supremum obiit (J. Jöcher, Lex. vir. doct. II p. 516), non solum adnotationes de Rufino et Abbone scripsit, sed etiam eam quae interierat commenti partem supplevit auxilio codicis cuiusdam, qui olim erat Antonii Loiselli, h. e. codicis Leidensis Voss. 34 L. Hoc cognoscitur cum ex summo consensu, qui est inter codicem L et codicis V partes suppletas, tum ex eis, quae ipse Petavius ad Eunuchi initium fol. 18<sup>u</sup> adscripsit 'Integra haec columna abest a codice Oiselli' (cf. Gerstenb. p. 6; 18). Inter Vossianos libros, quibus ni fallor eodem fere tempore accessit quo Leidensis L, codex V numerum obtinuit 160; cf. Catal. codd. Leidens. p. 380. — Scriptus est binis columnis quinquaginta fere versuum a duobus librariis; praeterea tertia manus (nisi forte eadem est atque man. 1) eis, quae pertinent ad Eun. II 2, 5 — V 2, 57, satis multas intulit correcturas. Con-

tinet autem codex V haec: Quat. I f. 1 suppl. ex cod. L: Andria — I 1 *senis mortem erat*; f. 2—7 (m. 1) Andr. I 1 *dominus futurus* — IV 4, 1 *filiam suam ei committat*; f. 8—9 suppl. ex L: IV 4, 3 *Vbi illic est* — V 4, 18 *neque alteri maledicere*; Quat. II f. 10<sup>r</sup>—12<sup>n</sup> (m. 1) Andr. V 4, 16 *siquidem ex tempore* — Eun. II 2, 5 *uerbi ipsius efficitur*; f. 12<sup>n</sup>—17<sup>n</sup> (m. 2, corr. m. 3) II 2, 5 *pannis obsitum* — V 2, 57 *ui ingredi (domum in ras. add. m. 3; duo ultimi columnae ultimae uersus uacui sunt relict)*; Quat. III f. 18<sup>r</sup>—25<sup>r</sup> (m. 1) Eun. V 2, 57 *denique hoc intellexit pithias* — Heaut. IV 1, 1 *puellam si peperisset*; f. 25<sup>r</sup>—25<sup>n</sup> (m. 2) IV 1, 1 *extingueret* — IV 1, 19 *a summo ad imum dicuntur* (dimidia columnae A pars et integra columna B scriptura uacant); Quat. IV f. 26<sup>r</sup>—33<sup>n</sup> (m. 1) Heaut. IV 1, 19 *Tot peccata* — Phormio (inc. f. 30<sup>n</sup>, expl. f. 33<sup>r</sup>) — Adelpheo I 1, 44 *multam referre gratiam*; Quat. V f. 34<sup>r</sup>—36<sup>n</sup> B l. 17 (m. 1) Ad. I 1, 44 *hoc ergo ad patres* — V 2, 8 *praeseram ctesiphoni* (inter columnas legitur QVE SECVNT<sup>2</sup> REQUIRE IN FINE HVIVS FABVLE ¶ m. 1); f. 36<sup>n</sup> B l. 17—38<sup>r</sup> A (m. 1) Hecyra III 5, 1 *illam dixisse exspectare filium* — fin. (f. 37<sup>r</sup> in mg. sup. m. 1 adscripsit 'hic Dest III<sup>or</sup>scaenae'); f. 38<sup>r</sup> A l. 11—39<sup>r</sup> B l. 11 (m. 1) Ad. V 2, 8 ¶ *comesatores dicuntur* — fin. (m. 1 adser. NON RECTE); f. 39<sup>r</sup> B l. 10—39<sup>n</sup> B l. 24 (m. 1) Hec. III 2, 1 *iamdudum audio hic tumultuari* — III 5, 1 *dixisti dudum*; f. 39<sup>n</sup> B — 41<sup>n</sup> (m. 1) Hec. init. — III 1, 39 *ergo interrogat Nescio quid*.

De ea quae in ultimo quaternione conspicitur perturbatione infra erit disputandum.

Codicem V adhibuit Westerhov, contulit a. 1853 Schopen, inspexit Gerstenberg; totum iterum excussi a. 1898.

7. Codex Parisinus lat. 16235 (olim Sorbon. 507) s. X (ex. vel XI sec. Schopenum) membranaceus foliorum 129. Continet Terenti comoedias (cf. Ter. Phormio ed. Dziatzko-Hauler p. 189 adn. 3) et partem commenti Eugraphiani, quod occupavit spatium per totum codicem inter singulas scaenas vacuum relictum usque ad fol. 78, ubi inter Ter. Ad. act. V sc. 7 et 8 leguntur ultima commenti verba ad Ad. III 5, 4 pertinentia, unde apparet non ex eodem exem-

plari esse transcripta commentum Eugraphi et Terenti fabulas. Fol. 2<sup>u</sup> post INCIPIT COMMENTVM EVGRAPII IN TERENCEI COMEDIIS legitur uita poetae<sup>x</sup> (P.) Terentius comicus genere quidem extitit afer etc., quam sequitur tractatus, qui desinit in verba humilis seruatur in comoediis. Fol. 3<sup>u</sup> incipit Eugraphi commentum, quod hoc ordine procedit: Andria Euenuchus Heautont. Adelphoe; ultima uerba commenti sunt Ad. III 5, 4 officium suum est facturis officium (fol. 78). Per multis locis scriptura adeo detrita est, ut quid scriptum fuerit non possit dispici. Post Andr. I 1, 102 accusator inserta sunt haec GLOSE sedm DONATVM auferimus ea — desideraret = Donat. Andr. I 1, 1<sup>4</sup>—7<sup>4</sup>. — Usus est hoc codice, qui olim ad Franciscum Olivarium (mort. Parisiis a. 1560) pertinebat, Lindenbrog; contulit eum a. 1851 Schopen, magnam partem meum in usum iterum excussit Carolus Walter; cum Gerstenbergio nonnulla communicavit Gundermann.

- P 8. Codex Parisinus lat. 7520 (olim Colbertinus 3635, Regius 5491, 5) miscellaneus; cf. Catal. codd. msc. Bibl. Reg. IV p. 369. Fol. 108—124 continet fragmenta Eugraphiani commenti a duobus librariis alternantibus s. XI scripta binis columnis, quarum una quaeque constat versibus 51—53. Tertia deinde manus, quae a prima discerni vix potest, saepenumero correcturas vel supra versum vel in margine addidit. Fol. 108<sup>r</sup> in marg. inf. man. rec. adnotavit 'Eugraphii Haec In alio quoque Exēplari extat Ex quo etiā descripta Videts'. Commenti partes, quas P exhibet, haec sunt: f. 108<sup>r</sup> A—110<sup>r</sup> B (m. 1) Eun. V 5, 9 quod factum sit — fin.; Heaut. init. — I 1, 1 calamitatibus pressum; f. 110<sup>r</sup> B—115<sup>r</sup> B (m. 2) Heaut. I 1, 1 allocucionem edat — IV 1, 19 a summo ad imum dicuntur (l. 5: reliqua pars columnae vacua est); f. 115<sup>u</sup> (m. 1) Eun. V 2, 57 Denique hoc intellexit pithias — V 5, 9 ideo senex interrogat (col. A lineae septem priores, col. B septem lineae ultimae scriptura vacant, nisi quod in fine paginae legitur 'D'COMIC' TERENTIVZ'); f. 116<sup>r</sup>—116<sup>u</sup> (m. 1) Ad. I 1, 44 hoc ergo ad patres — III 2, 39 primum eschinum constat; f. 117<sup>r</sup>—119<sup>u</sup> (m. 2) Ad. III 2, 39

*alienum habere* — V 9, 1 *aliud prestaturus munus par* (inter fol. 119 et 120 unius folii recisi exstant reliquiae, in quibus nulla scripturae vestigia reperiuntur); f. 120<sup>r</sup>—120<sup>u</sup> A (*m. 1*) Hec. IV 2, 3 & *Qualitatis autem negotialis* — fin. (post rasuram, ubi man. rec. deletam subscriptionem sic restituere conata est 'Explicit Comment In Hecy', restant versus tredecim sine scriptura); f. 120<sup>u</sup>B (*m. 1*) Hec. II 2, 16 § *nam dixit* — III 1, 39 *interrogat nescio quid*; f. 121<sup>r</sup> A—B l. 22 (*m. 2*) Ad. V 9, 1 *menonis seruo implentur* — fin.; f. 121<sup>r</sup> B l. 26—122<sup>r</sup> B (*m. 2*) Hec. III 1, 52 *Fingent mendacium me aliquid* — IV 2, 3 *Qualitas autem* (littera F initialis satis magna et ornata est; post *autem* sequitur lacuna dimidii versus; in marg. legitur 'Reqr̄ in <sup>i</sup>pori fo(lio) h̄ signo &'); f. 122<sup>r</sup> B—124<sup>u</sup> B (*m. 2*) Hec. in. — II 2, 16 *nurui sustineri non possit* (adnotatur a m. 1 'Quē secuntur q̄re In medi(o) hui<sup>9</sup> quaṭnionis h̄ signo &'). Debent autem ea quae f. 115<sup>u</sup> leguntur reponi ante ea quae f. 108<sup>r</sup> nunc initium faciunt, ut iustus ordo efficiatur hic: Eun. V 2, 57 — Heaut. I 1, 1 (*m. 1*), — IV 1, 19 (*m. 2*); item f. 120 falso loco insertum si post f. 124 collocatur, alterius partis haec prodit species: Ad. I 1, 44 — III 2, 39 (*m. 1*); — fin., Hec. III 1, 52 — IV 2, 3, init. — II 2, 16 (*m. 2*); Hec. IV 2, 3 — fin., II 2, 16 — III 1, 39 (*m. 1*). Habemus igitur duos quaterniones (f. 108. 109. 110. 111. 112. 113. 114. 115 et 116. 117. 118. 119. 121. 122. 123. 124) uno folio (120) auctos. De perturbatione in altera parte conspicua infra erit disputandum, ubi quae inter singulos codices intercedat ratio enucleare studebimus.

Codicem a. 1851 contulit Schopen, Gerstenbergii in usum inspexit Gundermann; ipse iterum contuli a. 1898.

De codicibus Britannicis Gerstenberg (p. 8) haec se Dziatzkoni debere refert:

'Cod. Oxoniensis bibl. Bodl. Auct. F. VI 27 membr. 3 s. X—XI. Hoc in libro Terentii fabulae insunt permultis scholiis additis, quae ad duas manus redeunt: manus clarior

commentum Eugraphianum vel ex eo excerpta, inter quae etiam alia atque quae in editionibus sunt leguntur, fuscior scholia nec Donatiana neque Eugraphiana adscriptis.

Cod. Oxoniensis Colleg. Brasenos. (Aenei Nasi) XVIII s. XII (vel XI). Hoc quoque in libro ad Terentii fabulas scholia ex Eugraphio excerpta inveniuntur addita.\*

At W. M. Lindsay quem adii benigne certiolem me fecit in utroque libro s. XI paucissima tantum exstare scholia, quae ad Eugraphi commentum pertinerent (ex cod. Bodl. mihi exscrispsit scholia maximam partem misere mutilata atque detrita ad Andr. prol. 1 sq., 18, 22; I 1, 1; 22; 28; 42; 50; 66; 102 sq., I 2, 14; I 3, 1; I 4, 1; I 5, 27; ex cod. coll. Brasen. scholia enotavit ad Heaut. prol. 11; 26; 31; 36, quorum ultimum hic apponam *Statariam secundum quosdam stationem* [cf. comm. recent. Bruns. ad h. l.], *secundum eugraphium stabilem*), neque ea ullius omnino esse momenti ad constituendum commentum contextum. Qua de causa libros Oxonienses prorsus neglegendos esse iudicavi.\*)

Nonnullorum Eugraphi codicum in antiquis bibliothecarum catalogis mentionem fieri post Beckerum (Catal. bibl. ant. p. 147; 188; 192; 232) docuit Manitius in Mus. Rhen. vol. XLVII suppl. p. 138 sq.: 1) Bibl. incogn. s. XI n. 31 'Commentum Eugraphii super Terentium'; 2) Bibl. Bamberg. ('Michelsberg') c. a. 1120 n. 18 'Euagrii commentum super Terentium'; 3) Bibl. S. Amandi s. XII n. 27 'Eographius super Terentium'; 4) Bibl. Corbeiensis s. XII n. 137 'Eographi liber in commentum Andriae'; 5) Bibl. Bamberg. ('Dom') s. XIII 'Eugrafius in Terentium'.

His fortasse addendus est codex ille, cuius meminit Gerbertus Remensis, cf. Gerstenb. p. 104 adn. 1 (Becker p. 77).

Postremo loco addendum est Eugraphi nomen in nonnullis codicibus inscriptum esse commentariis Terentianis, qui nimium quantum ab ipsius commento diversi sunt.

\*) Similiter res se habet in cod. Vatic. 3868 C et cod. Hal., quem Bruns totum typis exprimendum curavit: in utroque nonnulla scholia Eugraphiana reperiuntur, qua de re v. Mus. Rhen. 220.

Velut in cod. Paris. 7917 (f. 128<sup>r</sup>) et 7917 A (f. 85<sup>r</sup>) haec reperimus *Eugrafius super Terencium. Andria. enucus. cantontimorumenos. adelphe. eschira. phormio. Legitur actor iste affricanus genere qui deuicta cartagine ab affricano scipione cum aliis captiuis romam ductus est* etc.; subscriptio in utroque codice (f. 185<sup>r</sup> et 116<sup>r</sup>) haec legitur *Explicit expositio textualis super terencium*. Huic expositioni nihil esse cum Eugraphio iam Lindenbrog intellexerat (cf. eius praef.) et Schopen (Progr. Bonn. 1852 p. 3 sq.) satis superque demonstravit; cf. etiam Mus. Rhen. 223.

## § 3.

De codicum inter se rationibus deque duabus  
commenti recensionibus.

Codicum Eugraphianorum etsi numerus sat exiguus est, tamen quo necessitudinis vinculo singuli inter se coniuncti sint si volumus explorare, non desunt difficultates hinc potissimum repetendae, quod duobus libris, *V* et *G*, exceptis reliqui omnes plus minus mutili sunt. Deinde codices, id quod Gerstenberg primus intellexit, in duas familias vel recensiones discedunt ita, ut utrique quaterni libri sint adscribendi. Atque de his duabus recensionibus infra dicam; hic paucis comprehendam, quae de utriusque familiae codicibus diligenti comparatione instituta comperta habeo.

Recensionis  $\beta$  libri manuscripti partim decimo, partim quinto decimo saeculo confecti sunt, neque tamen, sicut expectaveris, per se stant vetustiores, per se recentiores, sed ita res se habet, ut cod. *F* s. XV in universum quam proxime accedat ad cod. *L* s. X, contra cod. *A* s. X et cod. *G* s. XV artiore vinculo coniungantur, id quod paucis exemplis e Phorm. prol. petitis illustrare mihi liceat: *utantur LF, utuntur AG; enim Terentius LF, om. AG; Terentius fecerit LF, fec-Ter-AG; ista fecisse LF, iste fecisset AG; orare LF, et orare AG; enim LF, est enim AG; a comœdiis longe videtur alienus LF, longe a com-videtur al-AG; quod deinde quod LF, deinde quod AG; magis LF, et magis AG; causa ea L, cause a F, causa hac AG; pote-*

*statem LF, potest esse AG*: sed haec sufficiant. Ne tamen putemus *F* ex *L* aut *G* ex *A* derivatum esse, eo impedimur, quod libri vetustiores a recentioribus amplitudine superantur. Si vero quis dixerit codicem *L* olim integrum fuisse, ut *F* aliquo modo ad eum redire posset, hoc per se quidem rectum est, at obstant tali opinioni lacunae et corruptelae, quae in *L* reperiuntur, in *F* non item; velut Phorm. prol. 27 *Qui — partes* et Eun. III 1, 2 *hic — ingentes* propter homoeoteleuton om. *L*, non om. *F*. Accedit illud, quod etsi plerumque, tamen non semper *F* cum *L* stat contra *G* vel *AG*; immo non raro exstant qualia habes Phorm. I 1, 15, ubi *ipse eius dies natali est quodammodo* exhibet *L*, *ipse discendi quodammodo natalis est* legitur in *FG*. Itaque hoc unum relinquitur, ut et *L* et *F* et *AG* ad proprios fontes referamus et fonti codicis *F* mediam inter eos locum assignemus (cf. stemma codicum Mus. Rhen. 349). Denique monendum est libros *F* et *G* ut novicios haudquaquam expertes esse interpolationum, quas cum alibi tum in lemmatis offendimus.

Hactenus de recensione  $\beta$ : iam ad codices alterius recensione nos convertamus. Qui quomodo inter se cohaerent, cum iam in Mus. Rhen. p. 345 sqq. exemplis allatis demonstraverim, hic commemorasse satis habeo artiore vinculo inter se coniunctos esse codices *V*\*) et *S* neque tamen alterum ex altero pendere, sed ad communem fontem utrumque redire, qui et ipse ex eodem libro archetypo derivatus est, unde cod. *P* (nec non correcturae manus secundae), cod. *B* et *B'* (hos ex eodem exemplari esse transcriptos docet praeter alia initium utriusque mutilum). Diversitas autem, quae inter libros huius recensione cognoscitur, maximam partem repetenda videtur ex communi archetypo variis lectionibus referto; praeterea arbitrio librariorum menda tollere conantium debentur multa quae in alio codice aliter leguntur, id quod *P* excepto in omnes plus minus cadit, maxime vero in *B'*, cuius auctoritas ob eam rem prope nulla est.

\*) De Eun. commento ad II 2,5—V 2,57 ex alio codice Leidensi *L* simillimo in *V* suppleto cf. Mus. Rhen. 347 sq.

Maiores momenti alia res est. Etenim si quis quae de librorum *V* et *P* natura et habitu supra exposui comparaverit, is opinor statim animadvertet singularem quandam inter utrumque intercedere rationem: nam non solum ea quae *P* exhibet satis accurate respondent eis quae tertio et quinto codicis *V* quaternionibus comprehenduntur, verum etiam Hecyrae et Adelphorum commenta si non eandem at simillimam certe ordinis perturbationem passa sunt. Hoc non ita posse explicari, ut *P* ex *V* descriptum sumamus, l. c. p. 343 argumentis satis idoneis comprobasse mihi videor; quorum argumentorum summi momenti est illud, quod in *P* particulae commenti diversae originis a diversis librariis transcriptae sunt, cum in *V* res non item se habeat. Inde ni fallor apparet dispositionem communis archetypi servatam esse et ab eis qui codicem *P* descripserunt et ab eo qui communem fontem librorum *V* et *S* confecit nec non ab eo, qui inde codicem *V* transcripsit; accuratius autem illius archetypi formam externam redditam esse a librariis cod. *P*, qui archetypus sive laxata foliorum compagine sive nondum conglutinatis foliis in Hecyrae et Adelphorum commentis magnopere erat perturbatus. Quod vero paulo ante dixi commentum, quale praebebat ille recensiois  $\alpha$  communis archetypus, compositum esse ex particulis variae originis, hoc ita velim intellegas, eam quam  $\alpha$  littera significavi recensioem non per totum commentum propriam exstare, sed hic illic tantum comparere, cum reliquae partes eandem contextus formam praebeant atque codices alterius recensiois  $\beta$ . Quae res duobus modis explicari potest: aut enim is qui Eugraphi commentum retractandum sibi proposuit non in omnes aequaliter partes operam contulit, ut multa intacta reliquerit, aut fragmenta aliquot retractati commenti in auxilium vocato aliquo codice integrae memoriae a nescio quo suppleta sunt, id quod compluribus de causis veri est similis. Quo factum est, ut archetypus ille librorum *BVSP* non meram recensioem  $\alpha$  exhiberet, sed illam coniunctam cum recensioe  $\beta$ , qua de causa in disputatione mea saepius citata exemplar illud de quo agitur siglo  $\alpha + \beta$  notavi.



Igitur si de codicibus recensionis  $\alpha$  loquimur, semper meminerimus necesse est notam illam a parte ad totum esse translataam.

Iam ad illam quaestionem pervenimus, quid distet inter recensionem  $\beta$  et recensionem  $\alpha$ , quam proprie dicimus. Huic quaestioni solvendae Gerstenberg enixe operam dedit et sibi persuasit (p. 101) 'neutram redactionem plenam vereque Eugraphianam esse, sed... utramque brevior et exiliore uti forma, quam quae commento ipsius Eugraphii fuerit' et paulo infra 'simili fato (sc. atque Donati commentum partim contractum partim additamentis infectum) commenti Eugraphiani redactionem  $\alpha$  deberi, contra redactionis  $\beta$  formam plane immutatam retractatoris cuiusdam industriae consilioque attribuendam'. Atque re vera recensionem  $\alpha$  et contractionem et interpolationem admodum expertam esse alibi (Mus. Rhen. 203 sqq.) larga exemplorum copia prolata comprobasse mihi videor: talis enim est huius recensionis indoles, ut retractationis nomine sit dignissima. Quod de altera recensione non ita valet: nam etsi concedendum est fieri potuisse vel etiam factum esse, ut pristina commenti forma hic illic immutaretur sive corrumpere, tamen ea quae Gerstenbergio (p. 100) non minus quam nobis offensionem est loquacitas satis idonea causa esse non videtur, qua commoti recensionem  $\beta$  retractatoris operae deberi contendamus. Minime igitur stare potest, quod v. d. sibi persuasit 'redactionem  $\alpha$  ad verum commentum proxime accedere': immo quam maxime remota est ab illo, cum altera quam vocare consuevimus recensione — nam proprie recensio dici vix potest — si non integra at certe multo integrior commenti forma servata sit.

Restat ut quid proprii habeat recensio  $\alpha$  quam brevissime indicem. Ac primum quidem multa in artius contracta, multa etiam plane ommissa esse non solum docent ea quae l. c. p. 220 attuli exempla, sed omnia, quae inclinatis litteris exprimenda curavi satis superque ostendunt. Deinde non pauca addita sunt ab eo qui recensionem illam confecit, quae cum proprio loco collocari iusserim in hac editione,

facile qualia sint intellegere potes. Habes in additamentorum numero adnotationes de orationis figuris, quas Gerstenberg p. 80 sqq. tractavit, easque sive definitiones earum maximam partem e Cassiodorii in psalmos commentariis desumptas; habes deinde definitiones dialecticas ex eodem fonte derivatas (cf. Gerstenb. p. 96 sqq.); habes denique tractatum illum de argumentorum locis ad Andr. I 1, 24 insertum (cf. Gerstenb. p. 93 sqq.) aliaque eiusdem generis permulta. Haec omnia quin consulto consilio retractator inseruerit, dubitari non potest. Minus certa res est in alio additamentorum genere, scholia et glossas dico, quae cum recentiore illo commento cohaerent, quod Bruns (Halis Sax. 1811) et Schlee (Scholia Ter. Lips. 1893 p. 79 sqq.) publici iuris fecerunt, quibus editionibus adiungenda sunt quae A. Mai olim (M. Acci Plauti fragm. . . ., Mediol. 1815) et M. Warren nuper (Stud. Harvard. XII 135 sqq.) ediderunt. Hoc quidem constat interpolatorem adnotationes quas modo dixi non solum recepisse, verum etiam cum suis ipsius additamenti quodammodo conglutinasse, ut Mus. Rhen. 209 sqq. ostendi; sed utrum illud commentum sive integrum sive excerptum iam in exemplari suo — codice scilicet Terentiano — cum Eugraphi expositionibus coniunctum invenerit an ipse demum coartato Eugraphi commento inculcaverit, hoc plane diiudicare non audeam, quamquam ad illud propensior est animus, praesertim si respicio quae supra de altero scholiorum genere in codicibus *B*, *F*, Oxoniensibus obvio et de Eugraphianis adnotationibus recentiori commento intermixtis adnotavi. Similiter haereo in nonnullis recensionis  $\alpha$  particulis sine dubio recentiori commento tribuendis, quae cum minus arte cum Eugraphianis cohaereant, incertum est, utrum ante retractationem an post eam commento Eugraphi accesserint; huc inprimis pertinet tractatus ille, qui in *BVS* Eunuchi initio praefixus est, quo de v. Mus. Rhen. p. 222.

Sed ne in his rebus, quae ad textum constituendum levioris momenti sunt, diutius commoremur, recensionem  $\alpha$  valere iubemus: ex his enim, quae exposui, recensionem  $\beta$

solam esse, dignam qua nova editio quasi fundamento nitatur, satis iam apparuisse existimaverim.

## § 4.

## De editionibus.

De commenti Eugraphiani editionibus cum optime disseruerit Gerstenberg (p. 16 sqq.), non multa habeo quae addam. Sunt autem dignae quae in censum veniant haec:

*Faernus* 1. Commentarii Eugraphii iuncti Gabrielis Faerni emendationibus in sex fabulas Terentii, Florentiae apud Juntas a. 1565 p. 232—251. Praemisit P. Victorius, qui hanc editionem curavit, haec: 'Cum venissent in manus Faerni reliquiae quaedam veteris grammatici, quem ille non negligebat, eas quoque, cuicumodi ipsae sunt, excudi curavimus: de ipso tamen nihil praeter nudum nomen investigare potuimus'. Sequitur 'Fragmentum commentarii Eugraphii in prologum Andriae Terentii', cuius initium est *Quas faciet deintegro comoedias hoc est de integro*. Post commentum in Phormionis prologum, quod ultimum locum obtinet, pauca excerpta leguntur, sc. ad Andr. I 1, 24 (de argumentorum locis); II 3, 6; 18; III 1, 17; 19; III 2, 36; III 3, 33. Praeterea in Faerni emendationibus 'Eugraphius' citatur his locis: Andr. I 5, 52 (p. 8, ubi Faernus de Eogr. errat); 54 (p. 9); II 6, 11 (p. 14); IV 1, 57 (p. 22); IV 3, 5 (p. 23); 8 (p. 23); V 1, 4 (p. 26); V 2, 7 (p. 27); V 3, 32 (p. 29); V 6, 17 (p. 32); Eun. prol. 1 (p. 33); 5 (p. 33, ubi iterum error Faerni); 7 (p. 33); II 2, 34; Heaut. prol. 6; II 2, 4 (p. 84); II 3, 131; Hec. prol. 1 (p. 151). Desumpsit autem Faernus haec fragmenta, sicut recte observavit Umpfenbach (Herm. II 337 adn. 1), ex codice Basilicano *B + B'*, quo etiam ad emendandas Terenti comoedias usus est. Faerni editionem, si modo hoc nomine digna sunt quae ille proposuit, alii repetiverunt, quos hic enumerare nihil refert.

*Lindenbr.* 2. Eugraphii commentarium in fabulas Pub. Terentii edidit una cum comoediis et Donati commento

Fridericus Lindembrog Parisiis a. 1602 et Francofurti a. 1623 (p. 501—584), qui in praefatione haec narrat 'Eugraphium non uni debemus. Praeter pauca enim illa, quae huius Scholiastae Faernus vir diligentiss. olim in Italia provulgavit, alia longe plura ex antiquissimo libro Ant. Loiselli I. C. nunc primum edita: et quae huic deerant, ex nobiliss. Franc. Olivarii codice suppleta sunt.' Adiecit igitur Lindembrog ad prologorum commentum, quod ex Faerni editione desumpsit, ea quae in duobus illis libris manuscriptis invenit, quos fuisse codicem Leidensem *L* et Parisinum *S* Gerstenberg luculentissime demonstravit (cf. etiam Mus. Rhen. 349). Sed cum hi codices integrum commentum non exhibeant, consentaneum est in Lindembrogii editione desiderari quae in illis desunt, sc. Hecyrae commentum excepto prologo totum, Adelphorum commentum inde a III 5, 4 (cf. *S*), Phormionis commentum ad act. III et in reliquis partibus permulta, de quibus cf. quae de codice *L* supra exposui. Quae ad extremam Eunuchi partem et initium Heautontimorumeni exhibet Lindembrog, ea ad unum codicem *S* redire recte contendit Gerstenberg, quippe cum in cod. *L* hic quattuor folia interierint. Idem v. d. de ratione qua in adhibendis libris manuscriptis usus sit Lindembrog haec verba fecit (p. 20): 'scholia modo ex uno modo ex altero codice exscribendo, modo varia utriusque redactionis scholia conglutinando effecit, ut in editionibus neutrius redactionis expressam imaginem habeamus [meminisse enim debemus codd. *B* et *S* ad recensionem  $\alpha$  pertinere, cod. *L* ad rec.  $\beta$ ]. Quin etiam scholia nonnulla [immo satis multa] ab eo ommissa sunt.' His facere non possum quin adsentiar; sed ne iniquius iudicemus, idem Lindembrog non paucis locis textum commenti emendavit vel emendare conatus est.

Ex editione Lindembrogiana pendent et editio Leidensis (Amstelod. et Lugd. Batav.) a. 1686 facta, cuius meminit Westerhov (cf. Gerstenberg p. 3 et p. 21 adn. 2) et ipsius Westerhovii Hagana.

### 3. Eugraphii commentarius in fabulas Publicii Westerh.

Terentii in Terenti editione, quam A. H. Westerhov a 1726 Hagae-Comitum prodire iussit. Continet autem Eugraphium voluminis alterius pars secunda p. 1—99. In praefatione (p. X) Westerhov nobiscum haec communicat: 'incidi in duplex exemplum, quod servatur in Bibliotheca Leidensi, lacerum alterum, alterum multis partibus integrus; illud quondam Js. Vossii, hoc Dionysii Petavii [de hoc Westerhovii errore v. supra de codice Leid. V]. In illo legebatur: *Scī Petri Beluacensis*. In huius fronte adscriptum erat: *Rufinus in Commentario de Metris Evanthium Sacerdotem in Terentium citat*. Porro autem: *Abbo Floriac. Abbas in Epistolis meminit Eugraphii*. . . . Visum igitur fuit faciendum, ut ad utrumque illum Codicem et vulgatas Editiones [Lindenbrogianam sc. et Leidensem] exigerem et quae ab his aberant, inde describerem. . . . Quae ipse nonnumquam adpersi, leviora sunt. . . . nemo, spero, mirabitur, ea ad quae diutius adhaerebam, intacta a me fuisse relicta. Sicubi tamen Ciceronem, Virgilium, alios abs Eugraphio laudatos reperiebam. . . . loca subnotavi, novam accessionem uncinulis inserui.' Duos illos, quibus se usum esse testatur Westerhov, libros manuscriptos facile agnoscimus codices Leidenses *L* et *V*, atque cum illum iam Lindenbrog adhibuerit, ea quae in editione Hagana accesserunt ex *V* desumpta esse manifestum est. Hic quoque Gerstenbergii iudicium afferre liceat iustissimum (p. 20 sq.): 'Commentarios a Lind. etiamtum editos ita recepit, ut solis iis locis, quibus Lind. lacunam vel aliam corruptelam adnotaverat, codices inspiceret. . . . Itaque editionem Lind. supplevit magis quam emendavit; ac ne iis quidem locis, quos Lind. asterisco vel lacuna ut corruptos insigniverat, satis diligenter cod. *V* lectiones excussit. . . . Quin etiam adeo in verba magistri iuravit, ut ne iis quidem locis, quibus Lind. aperte erravit, contra illum codicum auctoritatem sequi ausus sit. . . . West. igitur nimis anguste a Lind. pendere cognovimus, hac una re praestat, quod primus in omnes fabulas commentarios promulgavit.' Neglegendum vero hic non est deteriorem quidem recensioem  $\alpha$  prope integram publici

iuris esse factam in auxilium vocatis codicibus *BVS*, sed melioris recensiois  $\beta$  magnam partem desiderari, eam scilicet quam soli exhibent codices *AFG*, cum et Lindenbrog et Westerhov uno codice *L* mutilo usi sint.

4. et 5. Hic commemorandae sunt editiones, quas fecerunt J. C. Zeunius Lipsiae a. 1774 et R. Klotz Lipsiae a. 1838—1840. Uterque editor editionem Lindenbrogii cum Westerhovii supplementis in suum usum convertit nullo manuscriptorum librorum subsidio instructus; hac re tamen differunt quod Klotz in universum satis habuit priorum editorum vestigia sequi paucis de suo additis, quae in 'corollario adnotationum ad Eugraphi commentarium' (vol. II p. 604—615) Westerhovii coniecturis adpersa reperiuntur, cum Zeunius enixe operam dederit, ut quae Westerhovii vel incuria vel turpi incitia foedata et corrupta essent (cf. vol. II p. III), in quantum posset coniecturis emendaret atque sanaret. Qua in re etsi saepius ingenio nimium indulisit, tamen non pauca digna visa sunt, quae novae editioni insererentur.

*Zeune*  
*Klotz*

Iam restat, ut de novae editionis indole nonnulla addam. Secutus sum igitur, ut par erat propter ea quae supra de utriusque recensiois natura exposui, libros manuscriptos recensiois  $\beta$ , sic quidem ut codicum *LF'* memoriam in quantum fieri potuit omnino praeferrem, leviores autem discrepantias neglegerem, dummodo de archetypi lectione satis constaret. Quae in recensione  $\alpha$  omissa sunt, ea litteris inclinatis exprimenda curavi; quae addita, ea sub signo  $\alpha$  proprio loco collocavi apposito asterisco, qui indicaret, quo quaeque interpolatio esset referenda; praeterea ut omnis error tolleretur, versuum numerum uncinulis inclusum adieci. Reliqua, quae a retractatore immutata sunt, indicata invenies in critico apparatu.

Quod ad ordinem fabularum attinet, quem Eugraphius secutus est, res nullo negotio ad certum finem perducipotest. Etenim si codices inspiciamus, hunc in singulis ordinem invenimus:

<i>L</i>	Andr.	Eun.	Heaut.	Phorm.	—	—
<i>F</i>	Andr.	Eun.	Heaut.	—	Hec.	Phorm.
<i>A</i>	—	—	Heaut.	Ad.	Hec.	Phorm.
<i>G</i>	Andr.	Hec.	Eun.	Heaut.	Phorm.	Ad.
<i>B</i>	Andr.	Eun.	Heaut.	Ad.	Hec.	Phorm.
<i>B'</i>	Andr.	Eun.	Heaut.	—	—	—
<i>P</i>	—	Eun.	Heaut.	—	Ad.	Hec.
<i>V</i>	Andr.	Eun.	Heaut.	Phorm.	Ad.	Hec.
<i>S</i>	Andr.	Eun.	Heaut.	Ad.	—	—

Ex his primum secludendi sunt codices *FABS*, quippe quorum ordo accommodatus sit ad ordinem comœdiarum Terenti, quas continent. Deinde tollendus est error, quo nescio qua de causa in *G* Hecyrae commentum suo loco, qui inter Phorm. et Ad. fuisse videtur, deturbatum est. Iam in *LGPV* quattuor priorum fabularum sic procedit ordo: Andr. Eun. Heaut. Phorm., unde facile intellegitur Adelphorum commento ultimum locum essetribuendum, ut idem qui in Terenti codice Bembino prodeat ordo. Neque desunt, quibus hanc coniecturam comprobemus. Cum *L* in censum non veniat et *G* propter errorem supra dictum melius interim negligatur, ad libros *PV* reicimur, in quibus commenta Hec. et Ad. mire perturbata esse suis locis commemoravi. Atque in *V* hae respiciendae sunt subscriptiones: f. 38<sup>r</sup> EXPLICIT CÔMTV̄ EOGRAPHII IN HECHIRA et f. 39<sup>r</sup> Explicit Eographii Cômētū in Adelphis, haec quidem a man. sec. in rasura scripta; in *P* vero habemus f. 120<sup>u</sup> rasuram, qua maximam partem deleta est subscriptio, quae fuisse videtur EXPLIC̄ CÔMTV̄ IN HECYRĀ, et f. 121<sup>r</sup> post finem commenti in Adelphos EXPLICIT LIBER ///////////////, ubi EOGRAPHII deletum est. Quae cum ita sint, luce clarius est in *V* quoque post Adelphorum commentum olim eandem subscriptionem existisse, quae in *P* hoc loco exstat. Inde efficitur hanc subscriptionem referendam esse ad archetypum recensionis  $\alpha$  vel rectius  $\alpha + \beta$ ; qui cum in hac de qua agitur commenti parte ex libro alterius recensionis suppletus sit, iam veri est simillimum subscriptionem quoque ex illo codice esse

derivatam, praesertim si cum illo EXPLICIT LIBER EOGRAFIH comparamus quod *L* f. 1 exhibet INCIPIT LIBER EOGRAFIH. Stat igitur sententia nostra Eugraphium codicis Bembini ordinem esse secutum, quae sententia iis quoque confirmatur exemplis quae de Terenti memoria ab Eugraphio servata Mus. Rhen. p. 357 sqq. collegi.

Iam proponam tabulam, qua ostendatur quibus quoque loco uti potuerim libris manuscriptis:

	Rec. $\beta$	Rec. $\alpha$	
<i>Andr.</i>			
in. — prol. 25/27	<i>L F — G</i>	— — — — <i>S</i>	
prol. 26/27 — I 1 in.	<i>L F — G</i>	— <i>B B' V S</i>	
I 1 in. — III 5, 18	<i>L F — G</i>	— <i>B B' V S</i>	
III 5, 18 — IV 4, 1	<i>L F — G</i>	— — <i>B' V S</i>	
IV 4, 3 — V 4, 16/18	<i>L F — G</i>	— — — <i>B' — S</i>	
V 4, 16/18 — fin.	<i>L F — G</i>	— — — <i>B' V S</i>	
<i>Eun.</i>			
prol.	<i>L F — G</i>	— <i>B B' V S</i>	I 2, 1
I 1, 1 — V 2, 57	<i>L F — G</i>	— — <i>B' V S</i>	V 2, 57
V 2, 57 — V 4, 17	<i>L F — G</i>	<i>P — B' V S</i>	
V 4, 20 — V 6, 20	<i>L F — G</i>	<i>P — — V S</i>	
V 6, 20 — fin.	— <i>F — G</i>	<i>P — — V S</i>	
<i>Heaut.</i>			
prol.	— <i>F A G</i>	<i>P B — V S</i>	
I 1, 1 — II 1, 16	— <i>F — G</i>	<i>P — — V S</i>	I 1, 1
II 2, 1 — III 1, 77	— <i>F — G</i>	<i>P — B' V S</i>	
III 1, 77 — III 2, 13	— <i>F — G</i>	<i>P — — V S</i>	
III 2, 13 — IV 1, 19	<i>L F — G</i>	<i>P — — V S</i>	IV 1, 19
IV 1, 21 — fin.	<i>L F — G</i>	<i>P — — V S</i>	
<i>Phorm.</i>			
prol.	<i>L F A G</i>	— <i>B — V —</i>	
I 1, 1 — II 1, 59	<i>L F — G</i>	— — — — <i>V —</i>	
II 1, 59 — IV 3, 1	<i>L — — G</i>	— — — — <i>V —</i>	
IV 3, 1 — fin.	<i>l — — G</i>	— — — — <i>V —</i>	
<i>Hec.</i>			
prol.	— <i>F A G</i>	<i>P B — V —</i>	I 1, 1
I 1, 1 — fin.	— <i>F — G</i>	<i>P — — V —</i>	II 2, 16
			III 1, 52
			IV 1, 53
<i>Ad.</i>			
prol.	— — — <i>A G</i>	— <i>B — V S</i>	
I 1, 1 — I 1, 44	— — — — <i>G</i>	— — — — <i>V S</i>	
I 1, 44 — III 5, 4	— — — — <i>G</i>	<i>P — — V S</i>	III 2, 39
IV 1, 1 — fin.	— — — — <i>G</i>	<i>P — — V —</i>	fin.



Ex hac tabula facile cognoscitur, quam exili fundamento manuscripto in magna commenti parte nitatur nova editio. Velut in Phormione, prologum si excipimus, unum habemus recensiois  $\alpha$  codicem *V*, in *Adelphis*, id quod magis dolendum est, recensiois  $\beta$  solus nobis praesto est codex *G*, cui tantum in prologo accedit codex *A*. Maiores uero difficultates e miserrima textus condicione nascuntur; nam cum omnes libri sescentis locis corruptelas exhibeant, fieri non potest quin communem archetypum quovis mendorum genere obsitum ne dicam obrutum fuisse sumamus. Huc pertinent vocabula perperam sive coniuncta sive disiuncta, quod vitium ex continua scriptura repetendum est, huc lacunae modo minores modo maiores, huc denique compendiorum notae a librariis saepenumero male intellectae. Neque tamen haec sunt omnia: adde innumerabiles errores ex litterarum formis satis incertis ortos (velut aperta litterae a forma et e littera litterae e simillima causa fuerunt, ut p. 66, 22 ex *uestrum* fieret *acstrum L*, hinc *astrum a*); adde silvam lectionum variarum supra versus et in marginibus adpersarum, quas librarii posteriores modo receperunt modo abiecerunt; adde supplementa non pauca hic illic adscripta saepiusque falso loco inserta: iam satis opinor intelleges, quot quantisque difficultatibus impedita fuerit textus constitutio. Ac ne desiderentur exempla, ex ingenti multitudine pauca depromam, quae fere omnia in uno *Andriae* commento reperiuntur. **u: a** p. 3, 6 et 25, 17 *primū*: -*ma*, 4, 14 *captaturū*: -*rā*, 8, 13 *futurus*: *fact-*, 30, 18 *ut spe*: *a spe* (hinc *aspice G!*), 49, 1 *auditū*: -*tā*, 53, 16 *nam*: *num*, 54, 13 *collocata*: -*tu* (-*tur G!*); **u: o** 20, 14 *loco*: -*cū*, 33, 14 *primo*: -*mū*; **u: i** 26, 14 *sint*: *sunt*, 29, 2 *maximū*: -*mī*, 29, 13 *mandati*: -*tū*, 55, 14 *addic*: *adduc-*, 57, 16 *ibi*: *ubi*; **o: a** 7, 25 *abiecto*: -*ta*, 19, 1 *occult*: *adcult-*, 33, 2 *primo*: -*a*, 44, 16 *appon*: *oppon-*, 49, 1 *quo*: *qua (quam)*, 53, 15 *alloc*: *obloc-*, 64, 18 *-ar-*: *or*, 330, 28 *omiss*: *amiss-*; **o: e** 35, 24 *longo*: -*ge*, 40, 17 *commētis*: -*motis* vel -*tus*, 47, 21 *commodare*: *commēd-*; **c: e** 32, 18 *nē* (pro *num*): *ne (utrum a!)*; **c: o** 26, 13 *nē*: *nō*; **c: r** 27, 4 et 31, 3 *rītinere*: *ctin-*;

item *c:t, o:t, t:i, t:x, r:s, n:rr, f:s, h:n*, al. Saepissime invenitur *-it* pro *-at* vel *-at* pro *-it*, etiam *-it* pro *-crit*, saepissime *quo* pro *quod* vel *quod* pro *quo* nec non *quod* pro *quam* et *quoniam* sim. P. 3, 21 ex *fit reus* sscr. ergo in *LF* factum est *fit reus ergo*, in  $\alpha$  *fit ergo reus*, in *G* *fit reus*; 19, 15 ex *sic* sscr. et in *F* *sit et*, in *LG* *sic*; 26, 18 ex *narrationes* sscr. *narrat* in *F* *narrat rationes*, in *LG* *narrationes narrat*; 40, 13 ex *ita* sscr. *si te* in *F* *si ita te*, in *L* *ita*; 55, 11 ex *defendit* sscr. *dat* in *L* *defendit*, in *F* *dat*; 64, 4 ex *enimaduerteret* sscr. *anim* in *L* *enim animadu-*, in *F* *enim adu-*, in *G* *aduerteret*. Supplementum falso loco insertum habes 6, 21 *hoc — transtulerit* (om. *L*); 21, 1 *deinde — mandat*; 22, 11 *ut — opprimat*; 27, 19 *nam — inquit*; 37, 7 *quemadmodum dicitur*; 41, 5 *dicit — invenisse*; alibi. Variam lectionem adscriptam servaverunt codices 5, 6; 22, 3; 31, 17; 33, 14; 47, 20; 53, 2; 61, 12; 79, 18; saepius.

In tali codicis archetypi condicione mirum non est, quod librarii haud raro suo Marte textum emendare conati sunt, id quod praecipue cadit in recensiois  $\beta$  codices recentiores *F* et *G*, in recensiois  $\alpha$  codices *B* et *VS* (cf. Mus. Rhen. 346). Quo magis cavendum est, ne speciosa interpolatorum librorum scriptura decepti falsum pro vero accipiamus. Velut p. 54, 13 *collocatur* quod in *G* legitur, male emendatum esse demonstratur lectionibus codicum *L* (*-tu*) et *F $\alpha$  (*-ta*); similiter res se habet p. 91, 13, ubi  $\alpha$  recte exhibet *possum*, *L*<sup>1</sup>*F* corrupte *positum*, unde *G* efficit *posse mortuum*; cf. etiam p. 119, 15 sq.: *operā de* (hoc olim sscr. fuit) *robore* (vel *rebere*) *tradere LF* $\alpha$ , *operando robori se tradere debetur G*. Haec sufficiant.*

Iam qui consideraverit omnia quae de commenti Eugraphiani memoria disputata sunt, is facile concedet me non inani coniectandi studio abreptum, sed maxima emendandi necessitate coactum totiens mutasse scripturam traditam; qua in re sermonis Eugraphiani proprietatem qualem observaram enixe me operam dedisse ut servarem, vix est quod moneam. Sed quamquam ter quaterque totum commentum, iterum atque iterum singulos locos tractavi, ut

menda tollerem quam plurima, tamen haud ignoro multa restare, quae manu emendatrice egeant\*): plura certe eiusdem generis restitissent, nisi in hac quoque editione curanda Georgius Goetz et Fridericus Schoell adiuvisent me liberalissime, qua de causa ut persuasum habeant me semper fore gratum atque memorem, sincere illos velim rogatos.

Scr. Halis Saxonum a. d. XVI Kal. Iul. a. MCMVIII.

P. W.

---

\*) Addenda et corrigenda invenies in calce editionis.